

transitum, seu recessum ab actione, ut num. 2 dictum; ac proinde proprie accepta non fit de qualibet re dubia, sed de re dubia propter litem motam, vel saltem movendam: ut quando timetur lis circa aliquam rem oritura, sicque partes ad eam dirimendam antea inter se transigunt. l. *Eleganter. Si quis post.* ff. de *Condict. indebit.*

13. *Tria requiruntur ad transactionem; et quæ?* — III. Ad transactionem requiritur, quod non fiat gratis, sed aliquo hinc inde dato et retento, promisso vel remisso. Et hæc conditio indicatur in definitione transactionis per illa verba: « Pactio non gratuita. » Spectatque ad ejus substantiam, ut colligitur tum ex c. *Super eo*, 7. h. t. tum ex l. *Transactio*. C. eod. ubi dicitur: « Transactio nullo dato vel retento, seu promisso, minime procedit. »

14. *Quando ipsa differat a pacto gratuito, et amicabile compositione? Compositio amicabilis, quæ?* — Et per hoc amplius discernitur transactio a pacto gratuito, simulque ea differt ab amicabile compositione, utpote per quam gratis, sive nullo hinc inde dato, et retento, promisso vel remisso, sicque prorsus amicabiliter a lite receditur; prout notat Abbas in c. *Super eo*. num. 2. h. t. id probans ex textu dicti capituli. Quamvis his non obstantibus compositio in largiori significatione quandoque pro transactione sumatur, et contra transactio pro amicabile compositione; ut c. *Ex litteris*, 6. et c. *Veniens*. 8. h. t. ac notat Hostiensis in *Summa*. h. t. n. 4.

§ II.

DE REBUS, SUPER QUIBUS POTEST, VEL NON POTEST FIERI TRANSACTIO.

15. *De quibus generatim possit fieri transactio. Ea nequit fieri in iis, quæ deviant a jure naturali, vel divino.* Quæritur I. De quibus generatim possit fieri transactio? Resp. I. Generatim loquendo de omnibus rebus dubiis, et litibus incertis, licitum est transigere, præterquam iis, de quibus id jure prohibitum reperitur. Ita Hostiensis in *Summa*. h. t. num. 3. cum communi. Et quidem constat, transactionem non valere in iis, quæ deviant a jure naturali vel divino, aut ubicumque ex transactione, vel compositione committeret quis peccatum mortale, sive in eo remaneret; ut notat Abbas cap. ult. n. 10. h. t.

16. *Nec in illis, de quibus jure humano pro-*

hibitum est transigere. — Insuper non valere transactionem super iis, de quibus jure positivo humano prohibitum est transigere, patet ex eo: quia pacto privatorum juri publico minime derogatur, c. *Si diligenti. de Foro compet.* et l. *Jus publicum. ff. de Pactis.* Atque, ut habet reg. 64 jur. in 6. « Quæ contra jus divinum debent antiquè pro infectis haberi, » cum similibus.

17. *Transactio est salubris. Commendatur ille, qui execratur lites.* — Verum quod de omnibus aliis rebus dubiis, ac litibus incertis, licitum sit transigere, desumitur ex cap. 1. h. t. Ubi transactio satis commendatur, dum dicitur esse *salubris*. sicque ob bonum pacis, et communem tranquillitatem reipublicæ, locum habere potest, ubicumque non reperitur prohibita. Unde etiam jurisconsultus commendat eum, qui execratur lites, magisque vult re carere, quam super ea litigare, l. *Item si res.* § fin. ff. de *Alienat. judic. mutand. caus.* et l. *Aliud quoque.* ff. de *Tributor. action.*

18. *Transactio nequit fieri, nisi super re dubia.* — Resp. II. Certum nihilominus est, quod generaliter transactio fieri non possit, nisi super re dubia, de qua timetur litem movenda, ac lite incerta. Patet enim hoc ex ipsamet transactionis definitione, ac dictis supra § 1. n. 4. et 11. et 12. ubi hoc ipsum amplius probatur, atque allatis exemplis declaratur. Verum, loquendo de nonnullis rebus in specie,

19. *Super matrimonio nequit fieri transactio, nec amicabile compositio.* — Quæritur II. An super matrimonio possit fieri transactio, vel saltem amicabile compositio? Resp. Negative; et habetur clare decisum in cap. ult. h. t. Ratio est, quia causæ matrimoniales sunt definiendæ secundum legem divinam, et canonicas sanctiones: et, si matrimonium semel legitime contractum fuit, jam amplius dissolvi non potest; si vero illegitime, sive cum impedimento dirimente, sola partium transactione, aut amicabile compositione reconciliari nequit.

20. *Quando per eam aliquid feret contra vinculum matrimonii; alios secus.* — Cæteram hoc dictum intellige, quando per transactionem, vel compositionem amicabilem aliquid feret contra vinculum matrimonii, ut puta quod quis legitima uxore dimissa possit remanere cum secunda: nam hoc nullatenus est licitum. Glossa in cit. cap. ult. §. *Sacramentum*, h. t. Secus, si pro matrimonio fieret compositio:

ut si illud ex defectu consensus (vel ob aliud impedimentum, super quo tamen postmodum legitima dispensatio est obtenta) ab initio fuit nullum: nam possunt partes, super hoc contententes, sese amicabiliter componere ad contrahendum de novo; imo et iudex potest eas inducere ad sic contrahendum, ubi nullum subest impedimentum, licet ipsas nolentes cogere nequeat. Abbas in d. cap. ult. numer. 8. h. t. et alii.

21. *In sponsalibus de futuro valet transactio.* — Insuper in sponsalibus de futuro, quando ea ab una parte asseruntur, ab altera vero negantur, valet transactio aut amicabile compositio, per quam ea ratificantur, vel mutuo consensu dissolvuntur. Dependens enim ex libero contrahentium assensu, vel dissensu; sicque in sponsalibus locum habet textus cap. 1. de reg. jur. ubi dicitur: « Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur. »

22. *Super relictis in testamento non potest transigi, nisi hoc antea inspecto.* — Quæritur III. An sit licitum transigere super relictis in testamento, vel codicillo? Resp. I. De relictis in testamento, vel codicillo, aliter transigi non potest, quam inspectis cognitisque verbis illius. Ita expressum habetur in l. *De iis*, ff. de *Transact.* et l. 1. ff. *Quemadmodum testamenta*, etc. ubi insuper ad hoc requiruntur auctoritas iudicis. Atque ita saluberrime constitutum fuit ex duplici ratione. Primo, in odium hæredum testamenta occultantium: prout notat Glossa un. in d. l. *De iis*. et Bartolus ibid. § *Secundo opponitur.* ff. de *Transaction.* Secundo, tum ob privatam utilitatem eorum, quibus aliquid testamento relictum fuit, tum propter favorem publicum, in eo consistentem, ut ultimæ defunctorum voluntates suum sortiantur effectum, executionique mandentur, l. *Vel negare.* ff. *Quemadmodum testament. aperiant.* Bartolus, loc. cit. Rota decis. 226. num. 5. coram Merlino, et alii. Siquidem transactiones super relictis in testamento antea non inspecto, sunt captiosæ; cum facile quis inducatur, ut modico in continenti sibi porrecto repudiet magna, quæ necdum cognovit, sibi obvenirent ex laboribus alienis per ultimam voluntatem decedentis.

23. *Bene tamen super instrumentis, et contractibus inter vivos.* — Notandum tamen, quod præsens conclusio, simulque allegata constitutio cit. l. *De iis*. ff. de *Transact.* locum duntaxat habeat in testamentis, aliisque

ultimis voluntatibus, de quibus loquitur, ob rationes proxime dictas; non item in instrumentis, atque contractibus inter vivos celebratis: nam quoad contenta in istis sustinetur transactio, etiam non inspectis verbis illorum. Glossa un. in cit. l. *De His*; et Bartolus ibid. § *Secundo opponitur*; et Jason n. 1; Rota ubi supra, n. 5. et 6. cum aliis.

24. *Etiam ibi ad valorem transactionis sufficit, quod partes sciverint tenorem testamenti, licet istud non inspexerint.* — Deinde loquendo etiam de testamentis, et aliis ultimis voluntatibus, sufficit ad valorem transactionis, quod partes sciverint tenorem testamenti, forsitan a notario vel testibus sibi relatum, etiamsi ipsum circa hoc non inspexerint. Nec obstat, quod textus in cit. l. *De His*, expresse dicat, transigi non posse, « quam inspectis cognitisque verbis testamenti. » Nam etiam ille dicitur inspicere, qui scit, l. *In civile.* et l. *Scire.* ff. de *Legib.* Censetur enim sciens inspicere oculis intellectualibus. Bartolus, ubi supra. § *Quæro extra Glossam*, Jason loc. cit. num. 15. istud confirmans ex eo: quia alias sequeretur, quod si testamentum non esset scriptum, nunquam posset transigi de relictis in illo; quod est absurdum. Alexander consil. 11. n. 13. vol. 2; Rota cit. decis. 226. coram Merlino, n. 3. et 4. citans alios.

25. *Super alimentis in ultima voluntate relictis non valet transactio, nisi fiat causa cognita, et accidente auctoritate iudicis.* — Resp. II. Etiam super alimentis ex ultima voluntate relictis non valet transactio, nisi fiat causa cognita, et auctoritate iudicis interveniente. Textus est in l. *Cum hi.* § 1. ff. de *Transact.* ubi Bartolus, Jason, et communis aliorum. Ratio est eadem, quæ supra num. 22. affertur: nam etiam talis transactio foret captiosa, cum illi, quibus alimenta in debita quantitate pro sua congrua sustentatione ex testamento relicta fuerunt, istud adhuc ignorantes facile inducerentur ad transigendum super minori quantitate, veluti contenti modico præsentis, et insperato eis obveniente.

26. *Dummodo non intervenerit juramentum.* — Atque hæc conclusio procedit imprimis in transactione de alimentis testamento relictis, quando non intercessit juramentum. Nam, quod ejusmodi transactio, etiam absque auctoritate iudicis facta teneat, validaque efficiatur, si juramentum a transigentibus fuerit firmata, tradit Imola in c. *Cum contingat*, num. 95; et Abbas ibid. num. 30. de *Jurejur.*, Covarruvias part. II. in c. *Quamvis pactum*,

§ 6. n. 12; Fachineus, lib. III. *Controv. jur.* cap. XXI; Ciarlinius, *Controv. for.* cap. CXXI; *Surdus de Alimentis*, tit. 8. privileg. 56. n. 59. et alii. Siquidem observatio dicti juramenti non vergit in dispendium salutis æternæ, neque in alterius redundat detrimentum; ac proinde ob reverentiam divini nominis, ne in vanum assumatur, perjuriique reatus incurratur, est observandum; prout in simili habetur decisum in c. *Cum contingat*. 28. de *Jurejurand.* et c. *Quamvis de Pactis*. in 6.

27. *Et dummodo exinde conditio alimentarii fiat deterior: secus, si melior.* — Deinde data conclusio est intelligenda de tali transactione, per quam conditio alimentarii fit deterior: nam secus, si melior; prout in cit. l. *Cum hi.* § *Eam transactionem.* ff. de *Transaction.* expresse subjungitur. Et ratio est, quia in prohibita transactione super relictis in ultima voluntate alimentis, jura specialiter considerantur favorem alimentarii, et grave damnum ipsius, quod incurrere posset ex subtractione alimentorum: si forsitan incautius super minori quota transigeret, sicque ex defectu necessariorum vitæ mori cogere: atqui hoc periculum cessat, ubi fit melior conditio alimentarii, hoc est, illius, cui relicta sunt alimenta; ergo.

28. *De alimentis præteritis tamen libere potest transigi.* — Insuper conclusio intelligenda est de alimentis futuris. Nam de alimentis præteritis, seu quæ hæres gravatus nondum præstitit legatario alimentando, pariter libere potest transigi, l. *de Alimentis.* C. h. t. Et merito: quia tunc cessat prædictum periculum vitæ; cum ille, cui alimenta legabantur interim aliunde jam sufficienter alitus fuisse supponatur, sicque alimenta illa præterita non amplius veniant nomine alimentorum, sed cedant in purum et simplex debitum. Engel. h. t. n. 9. et alii.

29. *Sicut et de alimentis non mortis causa donatis, vel constitutis.* — Rursus quod super alimentis, quæ non mortis causa fuerunt donata, vel quæ aliquis inter vivos sibi constituit, liceat etiam sine prætoris, seu judicis auctoritate transigere, textus est in cit. l. *Cum hi.* § 1. ff. h. t. ac notat Glossa in casu, et doctores ibid. Siquidem tum cessat tunc favor ultimarum voluntatum; tum periculum ac præsumptio captionis, cum quilibet bene tunc sibi prospicere censeatur, non minus ac in aliis contractibus inter vivos celebratis.

30. *De jure civili licitum est transigere de quolibet crimine capitali; et sanguinem suum*

quoquo modo redimere. — Quæritur IV. An sit licitum transigere super crimine, dando videlicet adversario suo pecuniam, vel aliud pretio æstimabile, ut ab accusatione ejus desistat. Resp. I. Spectato jure civili licitum est de quolibet crimine capitali (excepto adulterio) transigere, seu pacisci; non item de aliis criminibus publicis præterquam de crimine falsi. Ita desumitur (nonnullis tamen apud Fachineum, lib. I. *Controvers. juris*, cap. VIII. discordantibus) ex l. *Transigere.* 18. C. h. t. ibi: « Transigere, vel pacisci de crimine capitali, excepto adulterio prohibitum non est: in aliis autem publicis criminibus, quæ sanguinis pœnam non ingerunt, transigere non licet citra falsi accusationem. » Hæc ibi: ubi Glossa finalis allegat illos antiquos versiculos:

Sanguinis in pœnis (nisi mœchus) transigit omnis:
In cæteris nulli liceat, nisi crimine falsi.

Ratio primæ partis ulterior est: quia licitum est unicuique sanguinem suum quoquo modo redimere. L. 1. ff. de *Bonis eorum, qui ante sententiam*, etc. ubi dicitur: « Ignoscendum principes consueverunt ei, qui sanguinem suum qualitercumque redemptum voluerit. » Nec immerito id principes temporales censuerunt, quia nihil in hoc mundo pretiosius est vita.

31. *Excepto crimine adulterii; et cur hoc?* — Excipitur autem in data conclusione crimen adulterii, non obstante, quod de jure civili sit capitale, l. *Quamvis.* 30. C. ad *Leg. Juliam de adulteriis*, ibi: « Sacrilogos autem nuptiarum gladio puniri oportet. » Quem tamen textum doctores communiter intelligunt de adulterio duplicato, vel de adulterio sæpius repetito, id est, de quo reus jam semel punitus est. Ratio autem dictæ exceptionis est frequentia hujus criminis: simulque ut evitetur nota dedecoris ex parte conjugis innocentis, ejusque consanguineorum; atque impediatur alia mala, puta cædes, inimicitia, successio filii spurii in bonis conjugis innocentis.

32. *De criminibus vero non capitalibus transigere non licet.* — Altera pars datæ num. 30. conclusionis, loquens de aliis criminibus publicis (id est, quorum accusatio cuilibet etiam plebeo competit) non capitalibus, ex eo suadet, tum quia hic cessat periculum capitis et sanguinis, adeoque transigens excusationem non meretur; tum quia bonum commune reipublicæ postulat, ne crimina ma-

DE TRANSACTIONE SUPER BENEFICIO ECCLESIASTICO, ALIISQUE REBUS SPIRITUALIBUS.

36. *Transactio super beneficio ecclesiastico, dato ac revento aliquo temporali, nequit fieri.* — Quæritur I. An sit licita transactio super beneficio ecclesiastico, aliisque rebus spiritualibus? Resp. I. Transactio super beneficio ecclesiastico, vel alia re spirituali, de qua litigatur interventu rei temporalis vicissim datæ, remissæ vel promissæ, fieri nequit absque labe simoniæ: bene tamen gratuita, et amicabile composio. Ita communis; et habetur expressum in c. *Super eo*, 7. h. t. ibi: « Transigi super re sacra, et litigiosa non potest: etenim res sacra, ut possideantur aliquo dato vel retento, sive promisso, speciem credimus habere simoniæ. Alias si gratis et amicabiliter inter se litigantes componant, sacris canonibus nequaquam dicimus obviare. » Concordat textus in c. *Constitutus*, 4 h. t. ubi pariter transactio super beneficio facta, etiam cum juramenti interpositione, reprobatur, atque irrita declaratur veluti speciem continens simoniæ, cum similibus.

37. *Si datur spirituale pro spirituali, tunc in spiritualibus locum habet transactio.* — Resp. II. Nihilominus in spiritualibus non ex toto reprobatur transactio, sed tunc, cum temporale datur pro spirituali: secus, si datur spirituale pro spirituali; ut puta, si decimæ litigiøsæ pro parte per transactionem dividantur, vel si clerici pro jure decimandi controverso sese obligent ad ministranda sacramenta, et hujusmodi. Ita communis: quia tunc cessat ratio simoniæ. Idem patet ex eo quia spiritualia possunt ad invicem permutari: c. *Ad quæstiones, de Rerum permutat.* ergo pariter in eisdem transigi potest.

38. *Loquendo de re spirituali quoad ejus proprietatem.* — Verum Glossa in c. *Super eo*. §. *Super re sacra.* h. t. et Abbas ibidem notabilem afferunt datæ conclusionis limitationem, atque inter ipsa spiritualia distinctionem. Aiunt enim allatam doctrinam procedere, quando agitur, seu contenditur de re spirituali quoad ejus proprietatem: ut quando oritur controversia super decimis, et jure patronatus, aut quando prælati litigant super Ecclesia quadam, ejusque proprietate: tunc enim poterit intervenire transactio, compensando unam rem spiritualem largitione, vel cessione alterius rei, seu juris spiritualis proportionati.

neant impunita. Quinimo reus circa crimen non capitale transigens, habetur pro confesso, l. ult. ff. de *Prævaricat.* et l. 5. ff. de *Is, qui notantur infam.* ubi dicitur: « Quoniam intelligitur confiteri crimen, qui paciscitur. »

33. *Nisi super crimine falsi.* — Excipitur tamen hinc in dicta conclusione crimen falsi: nam super hoc de jure civili semper licitum est pacisci, non solum, quando irrogat pœnam sanguinis, sed etiam quando eam non irrogat. Textus et Glossa fin. et doctores in cit. l. *Transigere.* c. h. t. Ratio est, quia crimen falsi valde gravem infamiam irrogat, et condemnatus de falso quasi mortuus habetur, cum nulla fides amplius ei adhibeatur: unde hæc pœna æquiparatur pœnæ sanguinis, arg. l. *Iusta causa.* ff. de *Manumissis vindicta*, juncta Glossa. 1. ibid. ac notat Jason in cit. l. *Transigere.* n. 8.

34. *An etiam jure canonico licitum sit transigere super crimine? Refertur sententia negativa.* — Resp. II. Utrum etiam spectato jure canonico licitum sit transigere super crimine, ne videlicet quis de eo accusetur, variant doctores. Et quidem sententiam negativam tenet Glossa in can. *Si quem.* 2 q. 3 §. *In omnibus*; Hostiensis in *Summa.* h. t. n. 3, et Jason in l. *Transigere.* n. 4. c. h. t. cum pluribus aliis a se allegatis: quia (inquiunt) de jure canonico nunquam pro aliquo delicto imponitur pœna sanguinis, arg. can. *His a quibus.* 28. q. 8. et sic cessat ratio n. 30 allegata.

35. — *Affirmativa sententia est probabilior.* — Verum opposita, seu affirmativa sententia est probabilior, eamque tenet Abbas in cap. 1, n. 8. de *Collusion. detegend.* cum aliis. Siquidem habemus aliquas pœnas de jure canonico quasi similes pœnæ capitali, quando videlicet potest quis tradi curiæ sæculari, vel ubi venit imponenda pœna perpetui carceris. Quia igitur in crimine falsi, non obstante, quod pœnam capitalem, aut sanguinis non inducat, transigere licet (juxta proxime dicta) eo quod infamia, quam inducit, æquiparetur pœnæ sanguinis; ergo spectato jure canonico idem dicendum de illis criminibus, quæ proxime dictas pœnas inducunt, cum hæc æquiparentur pœnæ mortis. Adde dicta in simili. tit. 29, de *Officio et potestate judicis delegati*, § 1. n. 25 et 26.